

MONVMENTVM

DEBITAE OBSERVANTIAE

VIRO

PERMAGNIFICO, MAXIME STRENO

GENEROSO AMPLISSIMOQVE

DOMINO

HENRICO

RHODE

SENATVS PRAESIDI NEC NON ECCLESIAE

CVRATORI PRIMARIO ET PROSCHOLARCHAE

LONGE GRAVISSIMO

IN OBITV

VNICI FILII

SVMMAE SPEI

GENERIS, DOCTRINAE AC VIRTVTVM

SPLENDORE MAXIME CONSPICVI

ADAMI HENRICI

IN

ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

V. ID. MAII MDCCLI.

PIE DEFVNCTI,

MOESTISSIME LVGENTI

DEDICATVM

GYMNASIO ELBINGENSI

OPERA

JO. DAN. HOFFMANNI

GYMN. ELB. CORRECT.



Sic tam volucris disperit impetu
Mortalium spes: ludimur; occidit
Dum ridet illustrans Olympum
Phoebus & ore serenat orbem.

Conamur acres grandia, fuccutit
Fortuna cursu praecipites rotas:

Sic ludimur; durus vel ipse

Herculeus labor est inanis.

Lactat colonum spes Cerealibus

Donis futurae messis, & anxia

Cura solutus, mente firma

Nocte dieque vacat quieti.

Mox cum minaci turbine fulgura,

Nimbi, procellae, fulmina territant;

Prostrata campis herba fallit,

Frugiferaeque cadunt aristae.

Elatiori turget eburnea

Spe, purpurati quam decorant, domus:

Jam magna spirat mens potentis

Consilioque graui aucupatur.

Ast fraudulentis ausibus hostium

Livor repellit, turbat & omnia

Eludit euentu nociuo,

Damnaque tristia fert saluti.

35
Quae cura dulcis prolis amabilis?
Spes non inanis, semper & amplior
Crescente virtutis decore,

Quam generat pietas paterna.

Sed rumpit eheu! stamina protinus,
Vix ducta fuso, vis inimicior,
Mox vt per artus lenta serpit,
Acceleratue lues maligna.

O spes caducae! fallimur, integram
Prensante fortem praepropera manu:
Elabitur, mulcens dolosis
Blanditiis hilarique vultu.

Spes firma stabit fidereo polo,
Nec fallet vnquam, nititur anchora
Tuta reponens hic cupita,
Suauia quaeque cui fuere.

Quam grande lucrum! spes TVA, nescia,
VIR MAGNE, labi, stelliferis plagis
Inserta constanter perennat,
Orbe capi fragili reluctans.

Surgebat altis frondibus, excita
Virtute PATRIS; vidit imagines
Celfas auorum, calcar acre,
Et similes proavis nepotes.

Sic aemulando mens generosior
Aequis lacertis, quod proprium foret,
Conquirit, aptis imbuenda
Artibus & studiis Sophorum.

SALANA votis conscia patriis
Applaudit & mox alma GEORGIA,
Virtutis auctae magna testis,
Excitat haud vacuas futuri

Spes: at cito se proripuit pede
Et spes PARENTVM sedibus intulit
Altis perennantes, opimis
Vndique divitiis coruscus

Vultu sereno despicit omnia
Fastidiosus, iam prope siderum

Curru locatus forte certa,

Sub pedibus sua fata cernit.

Nunc irretortis luminibus satur

Spectat, quod arctis hic sapientia

Metis locauit, gaudiique

Plenus opes sitiens Sophiae

Haurit profusas gurgite limpido:

Laudes canora voce per aethera

Spargens olympi sempiterna

Laetitia fruitur beatus.

Nil fallit eius spem: neque morbidus

Aer laceffit membra malignius:

Aeternus adstat Sospitator,

Perpetuo viridis iuuenta.

O quam beatus, prole beator,

Quam iam supernis constituit locis,

Sortem finistram non veretur,

Spes vbi non fragilis perennat.

